130

Precedentibus audiuimus quomodo deus hominem honor~~ificauit~~ auit
Consequenter audiamus quomodo homo se ipsum vilificauit
Homo cum in honore esset non intellexit
Eiectus est quia contra deum creatorem suum se erexit
Eiectus est de paradyso voluptatis
Inhabitat vallem miserie et paupertatis
Perpendit sibi impensum honorem
Et inuenit tribulationem et dolorem — Genes iii°
Exiuit paradysum locum gaudiosum et amenum
Et intrauit locum doloribus et aduersitatibus plenum
Intrauit mundum fraudulosum et fallacem
Multa bona promittentem et omnibus mendacem
Promittit enim mundus homini longa vite dies
Sed veniente morte non valet ad punctum prolongare
Promittit corpori diuturnam sanitatem
Et inducit anime et corpori perpetuam infirmitatem
Promittit multas diuitias et magnum honorem
Sed in fine dat homini putredinem et fetorem
Et licet aliquando tribuat homini bona mundana
Tamen aliquando indurabilia sunt et vana
Nam hominis vitam non possunt prolongare
Nec a morbis potestate sufficiunt deffensare
In extrema necessitate nullum prestant homini iuuamen
Sed vix tribuunt homini vilissimum linthiamen
Mundus autem iste recte videtur esse tamquam sambucus
Cuius flos est pulchra sed amarus fructus
Sic pulchra videtur mundi delectatio
Sed fructus eius est eterna dampnatio
Mundus eciam iste ~~recte videtur esse~~ Ioab conuenienter comparatur
Per quem Christus osculo doloso tradebatur
Tale signum mundus dat demonibus
Quale iudas dedit ihesu Christi hostibus
Quem osculatus fuerit diuitias et honores dando
Ipse est tenetur cum eternaliter cruciando

Eua betrog adam daz er mit jr ass die verbotten frucht

Do vor habend wir gehört wie gröslichen ge eret het got den menschen
Nu söllent wir hören wie der mensche sich selber gekrencket hat Do
der mensche in eren was do verstund er nit und über hub sich wider

http://dl.ub.uni-freiburg.de/diglit/speculum1436/0263
© Universitätsbibliothek Freiburg
gefördert durch Baden-Württemberg